

LIBER TERTIVS

DIALECTICAE DE IIS,

QVAE AD TERTIAM OPERATIONEM

INTELLECTVS PERTINENT.

CAPVT I.

De consequentia, & argumentatione, in communi.



ILLIS iam, quae ad primam, & secundam operationem intellectus attingunt, in primo, & secundo libro, discussis: nunc in hoc tertio, de eis, quae ad tertiam pertinent, discutere nobis restat: & quia huius libri praecipuus finis est breuem syllogismi scientiam tradere: & syllogismus sub argumentatione: & argumentatio sub consequentia, continentur: ideo in hoc primo capite de consequentia, & argumentatione in communi prius agere decreuimus. Consequentia igitur, de qua Doctor in primo priorum quaest. 10. agit, est oratio, in qua vnum ex altero inferitur, media aliqua coniunctione illatiua, quae nota illationis dicitur: vt Petrus est homo: ergo est risibilis. Oratio ponitur loco generis: quia in ea conuenit cum quouis alia oratione: caetera loco differentiae ponuntur.

*Consequen-
tia.*

Nota.

Pro quo notandum, nonnullum esse discrimen inter conclusionem, consequens, & consequentiam: nam conclusio est illa propositio, quae ponitur post notam illationis in syllogismo: consequens autem est omnis propositio, quae ponitur post notam illationis in qua cumque argumentatione: siue sit syllogismus; siue non: vnde omnis conclusio dicitur consequens: sed non e contra. Consequentia vero differt a consequente: quia consequens est propositio posita post notam illationis: consequentia autem est illa habitudo inter antecedens, & ipsum consequens, resultans: habitu- do, inquam, consequentis, quae adiuuicem consequuntur: & talis habitudo, seu consequentia, est, quae hic diffinitur: & dicitur oratio supple hypothetica, in qua vnum ex altero inferitur, media illationis nota.

*Proprietas
consequen-
tia.*

Proprietas consequentiae non est veritas, vel falsitas: sed bonitas, vel malitia: vnde non dicitur

vera, vel falsa: sed bona, vel mala: ratio est: quia licet antecedens, & consequens: si sumantur, vt pro propositiones, & in ordine ad res significantes: secundum quod res significantes, vt sunt, vel non sunt dicantur verae, vel falsae: vnde haec est falsa: homo est equus: ergo est hinnibilis: tamen consequentia non attenditur penes significationem veritatis, aut falsitatis praemissarum: sed penes debitam connexionem extremitatum cum medio, & ad se inuicem, iuxta logicae praecipua. Vnde illa consequentia dicitur bona, cuius consequens sequitur necessario ex antecedenti: vt Petrus currit: ergo mouetur: motus enim necessario inferitur ex cursu: vt superius ex inferiori: & etiam est bona consequentia, etiam si antecedens, & consequens falsa sint: dummodo vnum ex alio necessario concludatur: vt Petrus est equus: ergo est hinnibilis. Consequentia mala, & vitiosa, est: quando consequens non inferitur necessario ex antecedenti: etiam si vtrumque verum sit: vt Petrus est animal: ergo est albus. Vnde cum consequens continetur in antecedente: tanquam effectus illius: semper in bona consequentia, ex antecedente vero sequitur consequens verum: & ex falso falsum: licet aliquando ex falso sequatur verum ratione formae: vt si arguas: omnis homo est arbor: platanus est homo: ergo platanus est arbor: ecce consequens verum ex antecedente falso.

*Consequen-
tia duplex.
Materialis*

Consequentia bona, secundum Doctor, vt supra, est duplex: materialis, & formalis: materialis est in qua vnum sequitur ex alio, non ex vi formae, & modi colligendi: sed ex rerum significatarum connexionem: vnde non tenet in omnibus terminis, retenta consimili dispositione, & forma: talis est haec: omnis homo est risibilis: ergo omne risibile est homo: tenet enim ratione materiae: quia termini sunt conuertibiles: non vero ratione formae: cum eadem facta in alijs terminis non teneat: vt ista: omnis homo est animal: ergo omne animal est homo.

Formalis.

Consequentia formalis est, quae ex vi formae, ac dispositionis terminorum, concludit in omni materia: etiam in impossibilitate vt in quibuscumque terminis talem formam, colligendique modum obseruaueris: seruatis omnino eisdem circumstantiis: nempe quantitatis, qualitatis, copulae, suppositionis &c. apte concludes: talis est iste colligendi modus

modus: omnis homo est animal: Petrus est homo: ergo Petrus est animal. Et iste in materia impossibilis: omnis homo est equus: Petrus est homo: ergo Petrus est equus.

*Species
consequen-
tia formalis.*

Consequentia formalis multas habet species: vna est, in qua ex vna enunciatione colligitur sua aequiuales: vt de aequipollentibus diximus: alia, in qua ex conuersa sequitur conuertens: vt de conuersione dictum manet: alia est enunciatione hypothetica illatiua cum suis speciebus, de quibus lib. 2. cap. 6. Alia tandem est argumentatio, de qua modo.

*Argumen-
tatio, quid.*

Argumentatio igitur, quae species consequentiae est, & genus ad syllogismum, est consequentia in qua. (Teste Cicerone) ex argumento explicato colligitur conclusio: dicitur, ex argumento: id est, ex medio.

Nota.

Pro quo notandum: quod argumentatio tripliciter accipitur: primo large, pro omni propositione formata ad modum consequentiae: siue talis consequentia sit bona; siue non: secundo sumitur stricte, pro omni oratione formata ad modum consequentiae bonae: siue in tali consequentia, antecedens sit probatiuum consequentis; siue non: tertio tandem sumitur stricte, pro omni oratione formata ad modum consequentiae bonae, cuius antecedens est probatiuum consequentis: & in hoc sensu a nobis hic diffinitur.

Nota.

Secundo est notandum: differentiam esse inter argumentum, medium, & argumentationem. Vnde accipiendo medium pro totali antecedente, medium in plus se habet, quam argumentum: quia dicitur tam de argumento probatiuo, quam non probatiuo: sed argumentum solum dicitur de antecedente probatiuo: & sic, omne argumentum est medium: sed non e contra. Argumentum etiam differt ab argumentatione: sicut pars a toto: quia argumentatio est oratio composita ex antecedente, & consequente: & argumentum est solum antecedens.

Ex quibus constat sensus diffinitionis datae: consequentia ponitur loco generis: ly, ex argumento, ponitur pro differentia: in quo ab alijs consequentibus formalibus distinguitur, quae nullum habent medium: nec formationem, nec virtuale: nisi quantum ad argumentationem reuocantur. Additur, ly, explicato: id est, bene apto, & disposito cum alijs partibus consequentiae: vt apte conclusio inferatur.

*Species ar-
gumentationis.*

Argumentationis quatuor communiter species assignari solent: videlicet Syllogismus; Enumeratio; inductio; & exemplum: de quibus sigillatim, in suis locis, est nobis agendum: & prius de syllogismo, tanquam de specie perfectiori.

CAPVT II.

De syllogismo in communi.

*Syllogism
quid.*

Syllogismus, qui haec ratio dicitur, est: Aristot. primo Priorum cap. 1. & 1. Topic. cap. 2. est argumentatio, in qua quibusdam positis, ex his, quae ponuntur, aliud sequi necesse est: quae diffinitione op-

time explicat Doct. in primo Priorum quaest. 4. argumentatio ponitur loco generis (per orationem enim diffinitur, vt per genus remotum) caetera loco differentiae. Dicitur, quibusdam positis: id est; duabus propositionibus praecedentibus, quae ob id praemissae appellantur, seu sumptiones. Dicitur, ex his, quae ponuntur: id est, disponuntur in modo, & figura: Aliud sequi necesse est: id est, sequitur necessario conclusio ab illis distincta: quia si praemissae sint verae: & conclusio formetur: necesse est illam esse veram. Vnde syllogismus in duas partes diuiditur: in eam, quae notam illationis, ergo, vel igitur, antecedit, quae antecedens dicitur: duas propositiones comprehendens: & in eam, quae subsequitur, quae vocatur conclusio: quia claudit, & terminat propositiones praecedentes: ipsa autem dependencia consequentis ab antecedente consequentia, vel consequentia appellatur, in qua formalitas syllogismi forte consistit.

*Materia
Syllogismi.*

Syllogismus; vt totum quoddam artificiatum; ex materia, & forma constat: materia illius est duplex: vna proxima, ex qua proxime componitur, vt tres propositiones: alia remota: vt termini, ex quibus praedictae propositiones coalescunt: qui tres tantum sunt: quia vnus illorum bis ponitur, semel in prima; & semel in secunda propositione, qui ob id dicitur medium; seu terminus medius; aut argumentum, vnicus alios duos terminos inter se, & faciens, quo vnus de alio praedicatur: ille terminus, qui in prima praemissa ponitur cum medio, vocatur maior extremitas, seu maior extremitas, a qua prima propositio denominatur maior: & simpliciter solet etiam appellari propositio. Ille vero terminus, qui in secunda praemissa ponitur cum medio, appellatur minor extremitas, seu minor extremitas: & sic secunda propositio appellatur minor: & etiam dici solet assumptio: in conclusio: ne autem, quae & complexio nuncupatur, coniungitur maior extremitas cum minore: ex quo enim illae duae extremitates in praemissis vniantur cum illo tertio: vt in conclusione inter se vniantur: iuxta illud axioma: quae sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se: vnde medium non ponitur in conclusione: & cum vnus terminus est coniunctus cum medio in vna praemissa; alius vero non est coniunctus cum illo in alia praemissa: inferitur in conclusione negatiua: quod nec ipsi termini inter se coniunguntur.

*Questio
quid.*

*Thesis quid
Hypothesis
quid.*

Sit exemplum: est alicuius ignotum: num risibile conueniat homini: nec ne? (quod quaestiu quaestio dicitur: quia vtramque contradictionis partem comprehendit: & quia vniuersale est, Thesis appellatur: si enim quaestio esset particularis: vt, num Paulus viderit diuinam essentiam: nec ne? Hypothesis diceretur), assumere debet aliquod medium, seu tertium, cum quo illi duo termini, homo, & risibile, vniantur: quod medium dicitur: quia assumitur ad probandum risibile conuenire homini: ex quibus conficiendus propositio: in prima, vnica cum medio (scilicet, rationale) risibile, quod est maior extremitas: sic rationale est risibile: in secunda, vnies hominem, quae erit minor extremitas, cum eodem medio: sic homo est rationalis: ex quo ergo in maiori, & minori,

noti, constat, hominem, & risibile vni cum rationali: euidenter deducitur in conclusione vni-ri etiam interse: sic ergo homo est risibilis: ecce in conclusione, maior extremitas predicatur de minori.

Syllogism² diuiditur ex parte materiae.

Syllogismus ex parte materiae diuiditur in categoricum: & hypotheticum; obliquum: modalem; & infinitum. Categoricalis est, qui constat propositionibus simplicibus. Hypotheticus, qui constat propositionibus hypotheticis: vt si Sol lucet, dies est: sed Sol lucet: ergo dies est. Obliquus est, qui constat propositionibus constantibus casibus obliquis: vt omnis potestas est a Deo: regnum est potestas: ergo est a Deo. Modalis est, qui constat propositionibus modalibus: vt necesse est omne animal esse substantiam: necesse est omnem hominem esse animal: ergo necesse est omnem hominem esse substantiam. Infinitus est, qui constat propositionibus: & praecipue conclusionibus constantibus termino infinito: vt omnis homo est non lapis: omne risibile est homo: ergo omne risibile est non lapis.

Diuiditur etiam ex parte materiae, in Demonstratiuum: Topicum; & Sophisticum. Demonstratiuum (pro nunc) est, qui constat propositionibus necessarijs. Topicus, seu Dialecticus, & probabilis, est, qui constat propositionibus probabilibus. Sophisticus, qui & Captiosus, falsigraphus, seu Pseudographus, appellatur, est, qui propositionibus falsis, & deceptorijs constat.

Diuisio syllogismi ex parte mediae & conclusionis.

Diuiditur quoque syllogismus ex parte mediae, & conclusionis: ex parte mediae alius est de medio communi: alius de medio singulari, qui & expositorius dici solet. Ex parte conclusionis, alius est Affirmatiuus, cuius conclusio est affirmatiua: alius Negatiuus, cuius conclusio est negatiua. De syllogismo quo ad formam dicemus cap. sequente.

C A P V T. III.

De forma seu figura syllogismi, ac de modis illius.

Forma syllogismi quid.

Forma syllogismi est extremorum cu medio ad aliquid concludendu apta dispositio: & haec forma ab Aristotele figura nuncupatur: Supta metaphora a Mathematicorum figuris, quae certis lineis describuntur: quae apta dispositio in hoc consistit: quod in maiori simul cum medio ponatur maior extremitas: & in minori, cum eodem medio minor extremitas: & quod conclusio constat ex maiori, & minori extremitate, sine medio: vnde secundum diuersam mediae dispositionem, diuersa figura consergit. Tripliciter ergo potest medium in praemissis disponi: primo, ita vt medium in maiori sit subiectu: & in minori predicatu: & sic consergit prima figura: vt omnis homo est animal: Petrus est

1. Figura.

homo: ergo Petrus est animal. Ecce homo, qui terminus est medius, in maiori subicitur maiori extremitati: & in minori, de minori extremitate predicatur: & ob id haec figura prima dicitur: quia in ea mediu est vere terminus medius: cum in vna praemissa sit subiectum; & in alia predicatum.

2. Figura.

Secundo ita vt medium in vtraque praemissa sit predicatum: & sic consergit secunda figura: vt nullus equus est rationalis. Omnis homo est rationalis: ergo nullus homo est equus. Ecce rationalis, in vtraque est predicatum.

3. Figura.

Tertio disponitur medium: ita vt in vtraque praemissa sit subiectum: & sic consergit tertia figura: vt omnis homo est risibilis: omnis homo est animal: ergo aliquod animal est risibile. Ecce medium; nempe, homo, in vtraque praemissa subicitur: vnde cum habeat rationem materiae in hac figura: & in secunda habeat rationem formae: ideo merito secunda tertiam antecellit.

Modus quid

Quatuor autem figurae in varios modos distribuitur, vt in varias species: est autem modus apta propositionum, secundum certam quantitatem, & qualitatem, dispositio: vt quod sint propositiones vniuersales: vel particulares: affirmatiuae: vel negatiuae: qui quidem modi solent etiam combinationes appellari, coniugationes, seu complicationes: trito vero sermone modi, qui per quasdam dictiones significantur tribus syllabis constantes: & si in aliqua dictione plures, quam tres, fuerint repta: vltimarum non est ratio habenda: subduntur enim: vt carmen compleatur. Prima syllaba cuiuscumque, dictionis significat maiorem. Secunda minorem. Tertia conclusionem. In his tribus syllabis ponuntur aliquae ex his quatuor vocalibus. A. E. I. O. Si fuerit. A. denotat propositionem sibi correspondentem debere esse vniuersalem affirmatiuam. Si. E. quod est vniuersalis negatiua. Si. I. particularis affirmatiua. Et si. O. particularis negatiua.

Modi prima figura.

Prima igitur figura habet sub se nouem modos, qui his carminibus continentur.

Barbara, Celarem, Darij, Ferio, Baralipon.

Celantes: Dabitis, Phapesmo, Frisefomorum.

Primus modus, qui Barbara dicitur, cum constat ex tribus. A. denotat fieri ex tribus propositionibus vniuersalibus affirmatiuis: vt patet in hoc syllogismo: omne animal est sensitiuus: omnis homo est animal: ergo omnis homo est sensitiuus.

Barbara.

Secundus modus, Celarem, denotat maiorem esse vniuersalem negatiuam: minorem, vniuersalem affirmatiuam; & conclusionem vniuersalem negatiuam: quia constat duplici. E. & vnico. A. vt nullum rationale est equus: omnis homo est rationalis: ergo nullus homo est equus.

Celarem.

Tertius modus, Darij, constat ex maiori vniuersali affirmatiua: minori particulari affirmatiua: & conclusione etiam particulari affirmatiua: quia constat vnico, A. & duplici, I. vt

Darij.

omne

Ferio.

omne admiratiuum est risibile: aliquis homo est admiratiuus: ergo aliquis homo est risibilis.

Quarta. modus, ferio, constat ex maiori vniuersali negatiua: ex minori particulari affirmatiua: & ex conclusione particulari negatiua: quia constat vnico, E. & vnico, I. & vnico, O. verbi gratia: nullum rationale est lapis: aliquis homo est rationalis: ergo aliquis homo non est lapis: & eodem modo dicendum est de alijs modis secundum vocalium diuersitatem.

Baralipon

Baralipon enim sic formatur: omne discursiuum est risibile: omnis homo est discursiuus: ergo aliquod risibile est homo: constat namque ex duplici, A. & vnico, I. nam vltima littera non est ad rem.

Celantes.

Celantes: nullum animal est lapis: omnis homo est animal: ergo nullus lapis est homo.

Dabitis.

Dabitis: omne admiratiuum est fiebile: aliquis homo est admiratiuus: ergo aliquod fiebile est homo.

Phapesmo.

Phapesmo: omnis homo est substantia: nullus lapis est homo: ergo aliqua substantia non est lapis.

Frisefomorum.

Frisefomorum: aliquis homo est substantia: nullus equus est homo: ergo aliqua substantia non est equus.

Nota quid sit conclusio directe, & indirecte.

Notandum tamen: quod quatuor primi modi huius figurae concludunt directe: alij vero qui indirecte: directe concludere est: quando maior, & minor extremitas, sic ponuntur in conclusione: quod minor extremitas est subiectum, & maior predicatum: concludere vero indirecte est: quando maior extremitas in conclusione est subiectum: & minor est predicatum: vnde modi indirecte concludentes dicuntur imperfecti: quia indigent aliquibus: vt necessarij appareant: videlicet conuersione vnus, aut plurius propositionum: vel reductione ad syllogismum perfectum: directe autem concludentes dicuntur perfecti: quia sunt per se notae: euidenter, & indemonstrabiles: nam non indigent ad alios reduci: vt de bonis illorum constat illarum: sed sunt aliorum regula: cum inniantur duobus illis principijs lumine naturali manifestis: quorum primum est dici de omni: secundum vero dici de nullo. Dici de omni est: quod nihil est sumere sub subiecto, de quo non dicatur predicatum: seu clarus: qui de quod vniuersaliter dicitur de aliquo superiori: vt de subiecto: dicitur de omni inferiori contento sub illo. Huius inniuntur duo modi directe concludentes affirmatiue: videlicet Barbara: & darij: quod sic ad exercitium rediges.

Dici de omni quid.

Negat proterius conclusionem istius syllogismi in Barbara: omne animal est substantia: omnis homo est animal: ergo omnis homo est substantia. Hanc sic confirmabis per dici de omni: qui quid vniuersaliter affirmatur de aliquo: affirmatur etiam de quouis contento sub illo: sed de animal vniuersaliter affirmatur substantia in maiori: ergo & de omni contento sub illo: sed homo subicitur animali in minori: ergo in conclusione vere affirmatur substantia de homine.

Dici de nullo quid.

Secundum principium appellatur dici de nullo: quando scilicet nihil est sumere sub subie-

cto, a quo non remouetur predicatum: seu clarus: quidquid de aliquo subiecto vniuersaliter negatur: negatur etiam de quouis contento sub illo. Cui principio inniuntur duo alij modi negatiue directe concludentes: nempe Celaret, & Ferio: quod sic ad exercitium rediges: negat quis conclusionem istius syllogismi in Celarem: nullum inanimatum est viuens: omnis lapis est inanimatus: ergo nullus lapis est viuens: illam sic per dici de nullo confirmabis: quidquid de aliquo vniuersaliter negatur: negatur etiam de omni contento sub illo: sed de inanimato negatur vniuersaliter esse viuens: ergo & de omni contento sub illo: sed lapis continetur sub inanimato: ergo vere in conclusione de lapide negatur.

Modi secunda figurae.

In secunda figura, in qua medium in vtraque praemissa predicatur, etiam inueniuntur quatuor modi directe concludentes: vt probat Doctor in primo Priorum quaest. 27. qui sunt: Cesare; Camestres; Festino; Baroco: quorum exempla sic sunt: in Cesare: nullus coruus est albus: omnis cygnus est albus: ergo nullus cygnus est coruus. Camestres: omnis cygnus est albus: nullus coruus est albus: ergo nullus coruus est cygnus.

Cesare.

Camestres.

Festino: nullus lapis est animal: aliquis homo est animal: ergo aliquis homo non est lapis.

Festino.

Baroco: omnis homo est animal: aliquis lapis non est animal: ergo aliquis lapis non est homo: & in hac figura semper conclusio est negatiua: quia vna ex praemissis semper est negatiua.

Baroco.

In tertia figura, in qua medium in vtraque praemissa subicitur, dantur sex modi viles, ac directe etiam concludentes: qui sunt: Darapti.

Modi tertia figurae.

Felaton; Disamis; Datissi; Bocardo; Ferison.

Darapti.

In Darapti sic: omnis homo est animal: omnis homo est risibilis: ergo aliquod risibile est animal.

Felapton.

Felapton: nullus homo est lapis: omnis homo est rationalis: ergo aliquod rationale non est lapis.

Disamis.

Disamis: aliquis homo est risibilis: omnis homo est rationalis: ergo aliquod rationale est risibile.

Datissi.

Datissi: omnis virtus est laudanda: aliqua virtus est temperantia: ergo aliqua temperantia est laudanda.

Bocardo.

Bocardo: aliquis homo non est grammaticus: omnis homo est animal: ergo aliquod animal non est grammaticum.

Ferison.

Ferison: nullus lapis est sensibilis: aliquis lapis est substantia: ergo aliqua substantia non est sensibilis. In ista autem figura conclusio semper est particularis: & si fuerit vniuersalis: non valet. Et vt melius memoriae praedictos modos mandare possis: eos simul tibi his carminibus apponimus.

Epilogus syllogismorum.

Barbara: Celarem: Darij: Ferio: Baralipon. Cesare: Camestres: Festino: Baroco: Darapti. Felapton: Disamis: Datissi: Bocardo: Ferison.

Quo modo autem syllogismorum omnium imperfectorum, ad quatuor perfectos primae figurae reductio fiat: & vtrum Darij, & Ferio, ad Barbara reductantur: infra in proprijs locis dicemus.

CAP.

De defectibus, qui in syllogismis accidere possunt.

Actenus egimus de compositione, & constructione syllogismorum: modo restat: ut agamus de eorum defectibus: ut possimus vitare, quod vitiosum est: pro quo sunt nonnullae regulae obseruandae, omnibus syllogismis conuenientes.

Regula pro syllogismis 1. Reg.

Prima est: expuris negatiuis nihil sequitur: unde necessario aliqua ex praemissis debet esse affirmatiua, vel formaliter, vel virtualiter: quia sufficit: ut affirmatiua equipolleat. Unde hic syllogismus nihil valet: nullus homo est lapis: nullus asinus est homo: ergo nullus asinus est lapis.

2. Regula.

Secunda regula: omnes praemissae in qua cuiusque figura non debent esse particulares: quia expuris particularibus nihil sequitur: unde hic syllogismus est reiiciendus: quod ego sum; tu non es: sed ego sum homo: ergo tu non es homo: & hoc debet intelligi: quando medium est terminus communis: nam si fuerit singularis: erit syllogismus Expositio: de quo statim videbimus.

3. Regula.

Tertia regula: si aliqua ex praemissis fuerit negatiua: conclusio debet esse negatiua: & si aliqua ex praemissis fuerit particularis: conclusio debet esse particularis: quia conclusio debiliorem partem sequitur.

4. Regula.

Quarta regula: medium nunquam debet poni per se in conclusione: nullus etiam terminus debet distribui in conclusione, qui non sit distributus in praemissis: alia argumentatio esset a no distributo ad distributum: quod est maximum vitium: ratione cuius, hic syllogismus nihil valet: omne animal est substantia: nulla arbor est animal: ergo nulla arbor est substantia. Similiter medium debet saltem in aliqua praemissa distribui: id est accipi vniuersaliter pro omnire, pro qua accipi potest. Ac tandem omnes proprietates logicales: ut eadem appellatio, ampliatio, restrictio, &c. obseruari debent.

Pro prima figura.

Aliae regulae sunt cuiusque figurae speciales: pro prima figura: quod maior syllogismi no fit particularis: aliter enim nihil sequitur: nec similiter minor debet esse negatiua: quia tunc argumentaremur a non distributo ad distributum ex parte maioris extremitatis: ut in hoc syllogismo: omnis homo est animal: nullus equus est homo: ergo nullus equus est animal. Hoc autem debet intelligi in modis directe concludentibus: nam in indirectis, bene potest esse minor negatiua: ut patet in Epesino: & maior particularis & minor etiam negatiua: ut patet in Erisoforum.

Pro secunda figura.

Pro secunda figura: maiori existente particulari in secunda figura, nihil sequitur: unde hic syllogismus nihil valet: aliqua virtus est laudanda: nullum vitium est laudandum: ergo aliquod vitium non est virtus. Ratio est: quia argumentamur a no distributo ad distributum ex parte maioris extremitatis. Similiter si vtraque praemissa sit affirmatiua, in secunda figura, nihil sequitur:

unde hic syllogismus nihil valet: omnis homo est animal: omnis equus est animal: ergo aliquis equus est homo. Ratio est: quia medium in nulla praemissarum distribuitur.

Pro tertia figura. Pro tertia figura: minor non debet esse negatiua: nec conclusio debet esse vniuersalis: unde nihil valet hi syllogismi: omnis homo est animal: nullus homo est equus: ergo nullus equus est animal. Omnis homo est risibilis: omnis homo est animal: ergo omne animal est risibile.

De modo inueniendi medium.

De arte inueniendi medium agit Aristoteles in fine libri primi Priorum, quam ipse, & veteres, ita difficulter tractauerunt: ut Sophista, ob eius difficultatem, eam Asinorum pontem appellauerint: eo quod Tyrones illam percipere non valentes ab incepto dialecticae tramite retrocedebant. Sed, ut huc pontem effugias: dupliciter eum tibi proponemus.

Et pro primo modo est aduertendum: quod qui cumque terminus, respectu alterius, quadrupliciter se habere debet: primo ut inferat alium: sed non inferatur ab illo: & talis terminus est minus communis, respectu magis communis: & dicitur antecedens: ut homo respectu animalis: quia, homine posito in antecedente, inferatur animal in consequente: ut est homo: ergo animal.

Secundo terminus potest se habere: ita ut inferatur: sed non inferat: & talis est magis communis, respectu minus communis: ut animal respectu hominis: & dicitur consequens.

Tertio possunt se habere termini: ita ut adiuuicem inferant: & inferantur: & tales sunt termini conuertibiles, & aequales: ut homo, & risibile: rationale, & risibile.

Quarto possunt se habere termini: ita ut vnus alteri repugnet: & isti vocantur extranei, seu disparati.

Insuper est aduertendum: quod propositioes, quae possunt inferri, ad quas concludendas est necessarium medium, sunt in quadruplici differentia: prima est vniuersalis affirmatiua: secunda vniuersalis negatiua: tertia particularis affirmatiua: & quarta particularis negatiua.

His positis: si vis vniuersalem affirmatiuam concludere, & probare, v. g. istam: omnis equus est viuens: debes assumere, pro medio terminu, qui inferatur ex subiecto tali propositionis: scilicet, ex equo: & qui inferat praedicatum nempe, viuens: & talis terminus est, animal, quod est superius ad equum: & ex equo inferitur: & est inferius ad viuens: & tunc sic construes syllogismum in Barbara: omne animal est viuens: omnis equus est animal: ergo omnis equus est viuens.

Secunda regula: ut inferatur vniuersalis negatiua, v. g. nullus homo est equus: debemus assumere pro medio terminum, qui sit superior, vel saltem aequalis ad hominem, qui est subiectum talis propositionis: & qui sit extraneus equo, qui est praedicatum: & talis est distinctio hominis, quae conuertitur cum homine: & extraneatur equo: & tunc sic construetur syllogismus in Celare: nullum animal rationale est equus: omnis homo est animal rationale: ergo nullus homo est equus.

1. Modus dicendi. 1. Nota.

2. Nota.

1. Regula.

2. Regula.

De reductione syllogismorum offensiu.

conuertitur cum homine: & extraneatur equo: & tunc sic construetur syllogismus in Celare: nullum animal rationale est equus: omnis homo est animal rationale: ergo nullus homo est equus.

3. Regula.

Tertia regula: ad inferendam particularem affirmatiuam: verbi gratia, istam: aliquis leo est viuens: debet sumi pro medio terminus, qui inferat vtrumque: subiectum, scilicet, & praedicatum: qui est, rugibile: qui quidem est inferius ad viuens: & illud inferit: & aequalis ad leonem: & etiam illum inferit: & sic construetur syllogismus in Darij: omne rugibile est viuens: aliquis leo est rugibilis: ergo aliquis leo est viuens.

Nota.

Nota tamen: quod haec regula non debet intelligi in Baralipron: & Dabius prima figura: & in Datis tertiae, in quibus accipitur pro medio terminus, qui est inferior ad subiectum, & superior ad praedicatum: verbi gratia, si inferatur haec propositio: aliqua substantia est homo: sumitur pro medio animal: quod est inferius ad substantiam: & superius ad hominem: & fit syllogismus in Baralipron sic: omne animal est substantia: omnis homo est animal: ergo aliqua substantia est homo.

4. Regula.

Quarta regula: ut inferatur particularis negatiua: verbi gratia, aliquid animal non est homo: debet sumi pro medio terminus, qui sit inferior ad animal, quod est subiectum, & extraneus homini, qui est praedicatum: vel e contra: qui sit inferior praedicato, & extraneus subiecto: qui quidem terminus potest esse equus, qui est inferior ad animal, & extraneus homini: & sic fiat syllogismus in Ferio: nullus equus est homo: aliquid animal est equus: ergo aliquid animal non est homo. Et haec pro primo modo sufficiant.

Secundus modus dicendi.

Pro secundo modo, qui breuior: & facilius est, hanc regulam tenebis: quae re causam: & inuenisti medium: quam sic intelliges. Si affirmatiue concludere volueris aliquid praedicatum conuenire subiecto: inquire rationem, & causam, propter quam illi conueniat: si vero per oppositum volueris concludere negatiue, aliquid praedicatum non conuenire subiecto: rationem inquire, propter quam illi non conueniat. Hanc autem rationem dupliciter indagare poteris: aut per causam, quae dicitur ratio a priori: vel per effectum, quae dicitur a posteriori: ut si ad probandum hominem esse risibilem, velis inuenire medium: inquire causam risibilitatis: quae est, esse rationale: & illam constitues medium, coniungendo in maiori cum risibili: & in minori cum homine: & sic construes syllogismum: rationale est risibile: homo est rationalis: ergo homo est risibilis.

Ab effectu autem sumitur medium: quando probatur causa per suum effectum: ut si velis probare ferrum habere calorem: fumes pro medio effectum caloris: nempe, calefacere: & sic confices syllogismum: omne, quod calefacit, habet calorem: sed hoc ferrum calefacit: ergo ferrum habet calorem: & haec de asinorum ponte explicata sint satis.

Primum quam de syllogismo Expositio: & de alijs speciebus argumentationis agamus: operae pretium erit de reductione syllogismorum agere: unde in hoc capite de reductione ostensiu: & in sequente, de reductione per impossibile, seu ad impossibile, agemus.

Pro quo est aduertendum: omnes modos in capitulo tertio enumeratos, praeter quatuor primos prima figura: reduci posse ad aliquem modum perfectum: id est: ad aliquem illorum quatuor: ideo namque illi quatuor perfecti dicuntur: quia, ut necessario concludentes appareant: nulla reductione indigent: & ceteri dicuntur imperfecti: quia indigent reductione ad illos: & isti sunt non solum quinque prima figura, qui indirecte concludunt: sed etiam ceteri secunda, & tertia figura: etiam si directe concludant: omnis enim syllogismus indirecte concludens est imperfectus: sed non e contra: cum praedicti sint imperfecti, sed non indirecti. Unde reducere syllogismum est bonitatem syllogismi imperfecti ostendere per alium modum perfectum: quae reductio fit, aut per medium conuersionis: aut transpositionis praemissarum: aut vtriusque simul: haec enim vocatur instrumenta reductionis ostensiu: nam interdum sola conuersione opus est: interdum vero non sufficit nisi fiat praemissarum transpositio: & interdum quidem solum vna praemissarum: aut sola conclusio debet conuerti: interdum plures: ac rursus: interdum conuersione simpliciter: interdum conuersione per accidens vtendum est. Fundaturque ista reductio in illa maxima per se nota: quidquid sequitur ad consequens bonae consequentiae, sequitur ad eius antecedens. Unde cum praemissae modi perfecti inferant necessario suam conclusionem: & praemissae modi imperfecti inferant per reductionem praemissas modi perfecti, ad quem reducitur: inde fit: ut inferant necessario eandem conclusionem. De quibus statim exempla adducemus.

Insuper est aduertendum: quod praeter quatuor vocales, A. E. I. O. quae in quolibet modo reperuntur: ut supra cap. 3. diximus: in quolibet etiam inueniuntur consonantes certam significationem habentes: nempe, S. P. M. C. vbi quae enim ponitur, S. denotat in reductione propositionem illam, quae per vocalem immediate praecedentem significatur, debere conuerti simpliciter. Vbi ponitur, P. propositio per vocalem immediate praecedentem significata conuertitur per accidens. Vbi, M. praemissae transponuntur. Vbi tandem, C. in medio dictionis collocatur, denotat modum illum non conuerti ostensiu: sed tantum per impossibile: ut in Baroco, & Bocardo. Porro litterae initiales omnium modorum indicant ad quem perfectorum modorum singuli imperfecti reduci debeant. Vniuersaliter enim modum per

Nota.

Nota.